

crum aureum, et virtuti scutum, et corona pietati. Eandem coronam designat Sara orans dicensque: Domine, quisquis tui cultor est, hujus vita, etsi experimentis subjacet, tamen pro certo habet se iri coronatum, *Tobie* III, 21. Et S. Joannes *Apocal.* IV, 4: « Super thronos, inquit, viginti quatuor seniores sedentes circumamicti vestimentis albis, et in capitibus eorum coronæ aureæ. » Hos seniores Prudentius, lib. I *Contra Symmachum*, vocat Sapientes:

Estne ille e numero paucorum, qui diadema
Sortiti æthereæ coluerunt dogma Sophiæ?

Hinc anagoge accipias hic stolam immortalitatis, et coronam gloriæ, quam Deus sapientibus, id est Sanctis, præparavit in cælo. Unde Hugo ait stolam denotare beatitudinem animæ et corporis, coronam vero aureolam. Holkot ex adverso per stolam accipit aureolam, per coronam vero gloriam Beatorum. Huc facit corona sapientiæ, quæ olim ex olea plectebatur, de qua Herodotus lib. II. Plura vide apud Carolum Paschaliū lib. V *De Coronis*, cap. x et sequent.

33. FILLI, SI ATTENDERIS MIHI (ut ames sapientiam, eamque omni studio prosequaris), DISCES (eamdem). — Unde Græca et Syrus habent, *si volueris, fili*, scilicet attendere et obedire mihi, ut vaces sapientiæ, erudieris. Explicata sapientiæ asperitate et præstantia, transit ad modos eam assequendi. Igitur ad eam dispositiones et modos assignat: *prima* est amor sapientiæ; qui enim ardenter aliquid amant, totis viribus ei incumbunt; quo fit ut in eo proficiant et perficiantur, juxta illud Sallustii: « Ubi intenderis ingenium, ibi valet. »

SI ACCOMMODAVERIS ANIMUM TUUM MIHI (et sapientiæ), SAPIENS ERIS. — Græce, *et si tradideris animam tuam*; Vatablus, *si adverteris animum tuum, evades callidus*; Syrus, *si apposeris cor tuum, fiet astutus*, id est, prudens et sapiens. Prudentiæ enim pars est circumspectio astuta et callida. Unde in Proverbiis nomina *astutus* et *callidus* sumuntur pro prudenti. Arabicus: *O fili mi, si volueris, fuisti sapiens; et si separasti cor tuum ad sapientiam, fuisti divinans illam*, quasi per divinationem et revelationem divinam accipiens illam. *Fuisti*, id est, *eris*; est Arabismus: Arabes enim præteritum usurpant pro futuro, ad confirmandum id quod dicitur, *q. d.* Ita certo res erit futura, ac si jam fuisset præterita. Idem faciunt Hebræi, ut patet in Prophetis.

34. SI INCLINAVERIS AUREM TUAM, EXCIPIES DOCTRINAM (Græce *αἰνεῖται*, id est, intellectum, intelligentiam); ET SI DILEXERIS AUDIRE, SAPIENS ERIS, — sapiens evales. Græca invertunt verborum ordinem; sic enim habent: *Si dilexeris audire, recipies intellectum; et si inclinaveris aurem tuam, sapiens eris*; Tigurina: *Si audieris libenter, scientiam percipies; et si aurem tuam admoveris, adipisceris sapientiam*.

Secunda est hæc dispositio ad sapientiam, scilicet, eam audire. Auditus enim est sensus disciplinæ, ait Aristoteles.

35. IN MULTITUDINE PRESBYTERORUM (seniorum) PRUDENTIUM STA; ET SAPIENTIA ILLORUM EX CORDE CONJUNGERE. — Græca: *In multitudine presbyterorum sta; et qui sapiens, ei conjungere*. Sunt enim nonnulli presbyteri et senes insipientes, a quibus proinde non sapientia, sed insipientia discitur. Syrus: *In congregatione senior esto stans, et vide quis sit sapiens, et adhære illi*; Vatablus: *In cœtu senum consiste, et adjuge te cuivis sapienti*. Nota in *multitudine*: a multis enim multa audiuntur, et difficile est multos sapientes simul errare.

Tertia est hæc via ad sapientiam, nimirum, ut magistros sapientiæ eligamus, non quosvis, sed seniores sapientia præditos: hi enim sapientiam, quam longo usu et studio didicerunt, optime docent juniores. Peccavit contra hoc Roboam, qui respuit consilia senum, et secutus phantasiam juvenum, potiore parte regni excidit, III *Regum* XII. Peccant et superbi, præsertim hæretici, qui proprio fidentes ingenio, absque magistrorum traditione Sacram Scripturam tentant scrutari, ait Rabanus; quod quam periculosum sit, eorum lapsus, errores et hæreses declarant: superbia enim facit ut suas sententiæ et sectas traditioni Ecclesiæ et doctrinis sanctorum Patrum præferant; quos proinde taxat Salomon *Proverb.* cap. II, 13: « Qui relinquunt, inquit, iter rectum, et ambulant per vias tenebrosas; qui lætantur, cum malefecerint, et exsultant in rebus pessimis; quorum viæ perverse sunt, et infames gressus eorum. » Et cap. III, 7: « Ne sis sapiens apud te ipsum. » Jubet ergo Siracides senes et senum sententiæ audiri et consuli.

Hinc Dio Chrysostomus proverbialia appellat cana verba, non antiquata, sed antiquitate senescentia, gravia et matura. Et quidem id ipsum, quod viro canities et senectus afferunt, verbis ex antiquitate accedit, auctoritas videlicet, gravitas, maturitas, pondus. Ex quo fit ut, quemadmodum senes grandævosque adire solemus, ut consilium ab ipsis petamus: sic nonnunquam proverbialia adagiaque antiqua adhibenda sunt in consilium, quæ canam quamdam et omni senecta gravio-rem continent veritatem. Utrumque simul præcipit Ecclesiasticus hic, senes pariter atque proverbialia consulere. « In multitudine, inquit, presbyterorum sta, et sapientiæ illorum ex corde conjungere, et proverbialia laudis non effugiant a te. » In Græcis est, *παροιμια συνέσεως*, id est, adagia intellectus, scita nimirum et docta. Hinc factum ut Romani Imperatores magnis de rebus consulti proverbialia nonnunquam responderint. Illud nunc exstat in *Digestis*: « Nec omnia, nec passim, nec ab omnibus; » quod citatur ab Ulpiano in *Pandect.* lib. I, tractatu de officio Proconsulis, ex Epistola Severi et Antonini Imperatorum. Ita noster Salazar in *Proverb.* cap. I, vers. 28. Huc facit Sophocles

exemplum. Ipse enim decrepatus, a filiis accusatus dementiæ, iudicibus recitavit fabulam quam proxime scripserat, rogans num ea foret delirantis? Addiditque: « Si sum Sophocles, non deliro; si deliro, non sum Sophocles. » Præclare S. Hieronymus: « Omnes, inquit, pene virtutes corporis mutantur in senibus, et crescente sola sapientia, decreseunt cætera. » Et inferius: « Senectus, etc., ætate fit doctior, usu tritior, processu temporis sapientior, et veterum studiorum dulcissimos fructus metit. » Hæc et plura S. Hieronymus, epist. 2 ad *Nepotianum*. Et *Job.* cap. XII, 12: « In antiquis, inquit, est sapientia, et in multo tempore prudentia. » Quin et Socrates, teste Platone in *Sympos.*, aiebat tum oculum mentis instar aquilæ acute cernere, cum corporis oculus hebescit et caligat. Et Plautus in *Trinummio*: « Sapientiæ, ait, ætas condimentum est, sapiens ætati cibis est. » Et Cicero de *Senect.*: « Temeritas, ait, est florescentis ætatis, prudentia senectutis. » Solon, rogatus quid esset senectus, respondit: « Est vitæ hiems; » verius dixisset: « Est ver sapientiæ. »

UT OMNEM NARRATIONEM DEI (quæ est de Deo rebusque divinis, quæque ex Dei libris, vel ex Dei Ecclesiæ, traditione accepta est) POSSIS AUDIRE, ET PROVERBIA LAUDIS (id est laudabilia, puta sententiæ eruditæ et graves) NON EFFUGIANT A TE. — Vatablus, *narrationem divinam omnem libenter audias, nec te recondita prudentiæque dicit fugiant*. Sicut enim apes undique in omnes flores involant, ut inde mel colligant: ita ex omnibus sapientibus de rebus divinis audienda et colligenda est sapientia. Idem præcipit S. Bernardus in *Formula honestæ vitæ*: « Nunquam, ait, sis otiosus, quin aut legas, aut aliquid de Sacris Scripturis mediteris; vel certe, quod melius est, rumines psalmos; operando nihilominus incessanter quod tibi fuerit injunctum, ut semper te diabolus inveniat occupatum. Illas etiam Scripturas libentius legas, quæ præcipue erga Christum tuum magis inflammant affectum. » *Quartus* est hic modus et via ad parandam sapientiam.

Nota: « Narrationem Dei » vocat *primo*, narrationem præceptorum Dei; *secundo*, narrationem acceptam a Deo, saltem mediate, puta, mediante Ecclesiæ, ejusque Doctoribus; *tertio*, narrationem quomodo res quælibet secundum Deum Dei-que voluntatem disponi et agi debeat; *quarto*, narrationem operum et gestorum Dei, quæ, scilicet, facit pro populo suo fideli, vel contra infideles, ut contra Pharaonem, quæ narrantur in Genesi, Exodo, Nbris Regum, etc. Ex his enim sapientia colligitur: si enim historia profana est magistra vitæ, quanto magis historia sacra Dei? Rursum « proverbialia laudis » vocat laudabilia et laude digna, vel quæ in Dei laudem sunt conscripta, quales sunt multi Psalmi, inquit Palæcius.

36. ET SI VIDERIS SENSATUM (sapientem, prudentem), VIGILA AD EUM (id est, primo diluculo stu-

diöse et assidue perge ad eum audiendum; quod alibi Scriptura vocat *manicare*, id est, mane surgere et festinare): ET GRADUS OSTIORUM (puta gradus, quibus ascenditur ad ostia; viri enim primarii, uti sunt sapientes, solent commorari in altiori domus parte, quasi salubriori, secretiori et honoratiori, ad quam per gradus ascenditur, uti Romæ fieri videmus in palatiis Prælatorum) ILLIUS EXTERAT PES TUUS, — *q. d.* ita crebro eum ad et visita, ut videaris pede exterere ejus gradus, quod vulgo dicitur: *Tere limen domus sapientis*. Unde Syrus vertit: *Vide quis sit sapiens, et quære eum, et calcet limen ejus pes tuus*, et S. Augustinus, tractat. 7 in *Joannem*, pro *gradus ostiorum*, legit *limen ostiorum*. Nonnulli pro *επιεω*, id est ostiorum, legunt *επιεω*, id est semitarum. Græca Complutens. habent: *Si videris virum prudentem, mane surge ad eum; et gradus ostiorum ejus deterat pes tuus*; Tigurina: *Ubi cordatum quempiam videris, mane ad eum propera; et pes tuus limina forium* (Vatablus, *callem itinerum*) *ejus atterat*.

Idem suasere Gentiles: nam ex libris Ciceronis liquet moris fuisse Romanis, filios mittere ad domos senum gravium et nobilium, ut Catonis, Scipionis, Lælii, Attici, ut ex eorum convictu et verbis Romanos mores in sua puritate combiberent. « Nulla enim res, ait Seneca *epist.* 94, magis animos ad honesta inducit, dubiosque et in pravum inclinantes revocat ad rectum, quam bonorum virorum conversatio; paulatim enim descendit in pectora, et vim præceptorum obtinet frequenter audiri, aspicique frequenter. Occursus mehercle ipse sapientium juvat, et est aliquid quod ex magno viro vel tacente proficias. »

37. COGITATUM TUUM HABE IN PRÆCEPTIS DEI, ET IN MANDATIS ILLIUS (meditandis et opere explendis) MAXIME ASSIDUUS ESTO. — Est hæc *quinta* dispositio et via ad sapientiam, scilicet ut, cum quis sapientiam a sapiente audierit, eam deinde assidue mente et cogitatione revolvat, ruminet, pertractet. Non enim sufficit eam audire: audita enim cum auditu simul elabuntur, nisi mente ea teneamus et meditemur. Unde Græca clare habent: *Cogita in præceptis Domini τελειως*, id est *perfecte*; *et in mandatis illius meditare semper*; Syrus: *Contemplantare in timore Dei, et in mandatis ejus esto meditans quotidie*. Sapientia enim practica, de qua hic agitur, consistit in timore Dei, puta in meditatione et observatione mandatorum Dei. Vatablus: *Exacte perpende præcepta Domini, ejusdemque mandata meditare assidue; τὸ enim τελειως* significat exactam, profundam, perfectam debere esse meditationem in lege Dei, non superficiale et perfunctoriam. Hoc est quod ait Psaltes *Psal.* I, 2: « Beatus vir, etc., cujus in lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte; » et *Psal.* CXVIII: « Super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est. » Moses quoque ita sancit filiis Israël, *Deuter.* VI, vers. 6: « Erunt verba hæc, quæ ego tibi præci-

pio hodie, in corde tuo, et narrabis ea filiis tuis, et meditaberis in eis sedens in domo tua, et ambulans in itinere, dormiens atque consurgens. »

Porro meditatio hæc debet esse practica, et ad opus dirigi, adeoque rerum spiritualium magistri tradunt optimas esse meditationes, quæ ad actiones particulares, imo singulares, descendunt; v. g. dum quis meditur de patientia, ut meditatio meditati sit fructuosa, in ea concepiat firmetque propositum libenter et forliter patiendi, non in genere duntaxat, sed hic et tunc, dicendo: Meam febrim, meos socios molestos, meas irrisiones, scommata, dicticia talia in me jaci solita, et hodie jacienda, amore Dei generose et hilariter sustinebo, ut conformem me Christo in cruce eadem et plura patienti. Atque talis meditatio imprimit voluntati studium similium operum; intellectum vero aperit et illuminat, juxta illud *Psal.* LXXVII, 72: « In intellectibus manuum suarum deduxit eos, » puta intelligentia, quam opus manuum eis pepererat. Unde S. Hieronymus, Aquila et Chaldæus vertunt, *in prudentia manuum*, id est actionum, ait Euthymius, *deduxit eos*.

ET IPSE DABIT TIBI COR (id est, mentem cordatam, constantem, sapientem et prudentem); ET CONCUSPISCENTIA (non carnis et mundi, sed) SAPIENTIE DABITUR TIBI, — puta sapientia, quam concupiscis, sive sapientia concupita. Est hypallage. Ita Syrus et Tigurina. Vel simpliciter, *q. d.* Initio horrebas sapientiam quasi asperam; at ubi cœperis sapientiam, deumque pro ea invocare, Deus horrorem et tedium convertet in concupiscentiam et aviditatem, ut eam ardentem desideres et concupiscas quasi rem honestam, pulchram, suavem, celestem et divinam; qui enim in lege habet intellectum, ait Palacius, quo magis habet, eo magis habere desiderat, adeo est sapientia dulcis. Sic et Rabanus. Græca: *Ipse firmavit cor tuum in studio et sequela sapientie, et concupiscentia sapientie dabitur tibi*; Syrus: *Ipse firmabit vias tuas, et de eo,*

quod desideraveris, docebit te; Tigurina: *Ipse optatum confirmabit, et quam desideras, sapientia tibi dabitur*. Hinc liquet cor hic sumi pro firmitate et constantia cordis in studio sapientie, et concupiscentiam sapientie vocari sapientiam concupitam, *q. d.* Deus dabit constantiam animi in prosequenda sapientia, ex qua fiet ut eandem adeo concupitam tandem ediscas et assequaris. Alqui concupiscentiam hic accipiunt ipsius sapientie, non hominis eam concupiscentis, *q. d.* Dabitur tibi omne bonum; quod ardentem secum tibi imperitari cupit ipsa sapientia. Ipsa enim concupiscit se suaque omnia suis philomusis elargiri.

Sic Verbum æternum, quod est Sapientia Patris, ardentem concupivit se hominibus communicare, ideoque carnem nostram induit; unde et ait: « Deliciae meæ esse cum filiis hominum, » *Proverb.* viii, 31. Concupiscentia ergo sapientie longe major est, quam sit nostra: est enim concupiscentia Spiritus Sancti, de quo ait Apostolus: « Postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, » *Roman.* viii. Simili modo viri nonnulli eruditi et pii orant: « Domine, da mihi hoc quod pro me optat postulatque a te sanctissima Virgo Maria; » ipsa enim majora optat, quam nos optare possimus. Simili phrasi ait Osee cap. x, 12: « Melite in ore (Hebr. *ad os*) misericordie, » *q. d.* Melite ad votum et concupiscentiam misericordie, quantum, scilicet, ipsa ore suo desiderat et flagitat. Verum ex dictis liquet priorem sensum esse genuinum.

Est hæc *seata* dispositio et via ad sapientiam, nimirum Dei gratia, ideoque per orationem ab eo efflagianda, ut dicamus cum Psalte *Psal.* cxviii, 48: « Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua. » Hoc est quod a Davide patre didicit et docuit Salomon, *Proverb.* iii, 5: « Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, et ne innitaris prudentie tue. In omnibus viis tuis cogita illum, et ipse diriget gressus tuos. » Ita Rabanus.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, docet cavendam peccati culpam, ut viles ejus pœnam; secundo, vers. 4, docet ambiendum non esse magistratum; tertio, vers. 13, agit de moderatione lingue; quarto, vers. 15, docet quomodo homo se gerere debeat erga seipsum; erga amicos, vers. 20; erga uxorem, vers. 21; erga servos, vers. 22; erga pecora, vers. 24; erga filios et filias, vers. 25; erga parentes, vers. 39; erga sacerdotes, vers. 31; erga mortuos et ægros, vers. 37. Denique, vers. 40, ad hæc omnia rite præstanda medium efficax assignat, scilicet, memoriam novissimorum.

1. Noli facere mala, et non te apprehendent. 2. Discede ab iniquo, et deficient a te mala. 3. Fili, non semines mala in sulcis injustitie, et non metes ea in septuplum. Noli querere a Domino ducatum, neque a rege cathedram honoris. 5. Non te justifies

Deum, quoniam agnitor cordis ipse est; et penes regem noli velle videre sapiens. 6. Noli querere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates; ne forte extimescas aciem potentis, et ponas scandalum in æquitate tua. 7. Non pecces in multitudinem civitatis, nec te immittas in populum. 8. Neque alliges duplicia peccata: nec enim in uno eris immunis. 9. Noli esse pusillanimis in animo tuo. 10. Exarare et facere eleemosynam ne despicias. 11. Ne dicas: In multitudine munerum meorum respiciet Deus, et offerente me Deo altissimo, munera mea suscipiet. 12. Non irrideas hominem in amaritudine animæ: est enim qui humiliat et exaltat, circumspexit Deus. 13. Noli arare mendacium adversus fratrem tuum; neque in amicum similiter facias. 14. Noli velle mentiri omne mendacium: assiduitas enim illius non est bona. 15. Noli verbosus esse in multitudine presbyterorum, et non iteres verbum in oratione tua. 16. Non oderis laboriosa opera et rusticationem creatam ab Altissimo. 17. Non te reputes in multitudine indisciplinatorum. 18. Memento iræ, quoniam non tardabit. 19. Humilia valde spiritum tuum; quoniam vindicta carnis impii, ignis et vermis. 20. Noli prævaricari in amicam pecuniam differentem: neque fratrem charissimum auro spreveris. 21. Noli discedere a muliere sensata et bona, quam sortitus es in timore Domini: gratia enim verecundia illius super aurum. 22. Non lædas servum in veritate operantem, neque mercenarium dantem animam suam. 23. Servus sensatus sit tibi dilectus quasi anima tua: non defraudes illum libertate, neque inopem derelinquas illum. 24. Pecora tibi sunt? attende illis: et si sunt utilia, perseverent apud te. 25. Filii tibi sunt? erudi illos et curva illos pueritia illorum. 26. Filie tibi sunt? serva corpus illarum, et non ostendas hilarem faciem tuam ad illas. 27. Trade filiam, et grande opus feceris, et homini sensato da illam. 28. Mulier si est tibi secundum animam tuam, non projicias illam, et odibili non credas te. 29. In toto corde tuo honora patrem tuum, et gemitum matris tuæ ne obliviscaris. 30. Memento quoniam nisi per illos natus non fuisses: et retribue illis, quomodo et illi tibi. 31. In tota anima tua time Dominum, et sacerdotes illius sanctifica. 32. In omni virtute tua dilige eum qui te fecit, et ministros ejus ne derelinquas. 33. Honora Deum ex tota anima tua, et honorifica sacerdotes, et propurga te cum brachiis. 34. Da illis partem, sicut mandatum est tibi, primitiarum et purgationis: et de negligentia tua purga te cum paucis. 35. Datum brachiorum tuorum, et sacrificium sanctificationis offeres Domino, et initia Sanctorum. 36. Et pauperi porrige manum tuam, ut perficiatur propitiatio, et benedictio tua. 37. Gratia dati in conspectu omnis viventis, et mortuo non prohibeas gratiam. 38. Non desis plorantibus in consolatione, et cum lugentibus ambula. 39. Non te pigeat visitare infirmum: ex his enim in dilectione firmaberis. 40. In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis.

PRIMA PARS CAPITIS.

DE FUGIENDO PECCATO.

1. NOLI FACERE MALA, ET NON TE APPREHENDENT. — « Mala, » scilicet, uti addunt Græca Complut., licet Romana legant in singulari: et non apprehendet te malum. Ledit metonymice in voce mala; prius enim accipit mala culpæ, puta peccata; posterius mala pœnæ, quæ ex malis culpæ quasi effectus et proles nascuntur; *q. d.* Vis evadere mala pœnæ? noli facere mala culpæ. Sic dicimus furi: vis evadere furcam? evita furtum. Et: « Si non essent peccata, non essent fla-